

B-1 De  
PARABOLIS,

BENEDICENTE DÉO!

Veniā Ampl. SEN. PHILOS.

SUB PRÆSIDIO

VIRI ADMODUM REVERENDI

CELEBERRIMIQUE

DN. TORST. RUDEEN,

Poët. Prof. Ord.

TIROCINUM  
hoc Academicum

Publico examini modeste  
defert

MICHAEL JESENHAUS. M.F.  
Ost. Bothn.

Loco horisque suetis,

d. xvi. Cal. Jan.

MDCC V.

---

Exc. Jo. WAL.

PATRI  
IN CHRISTO REVERENDISSIMO,  
DN. JOHANNI  
GEZELIO,  
DOCTORI, EPISCOPO & PRO-  
CANCELLARIO,  
Excellentissimo, Celeberrimo,  
Eminentissimo,  
Mæcenati Magno  
VITA & FELICITAS COELITUS!

**L**umen inocciduum Boreæ , præco-  
nia famæ

Inclyta Flaminei cui dat honoris apex.  
Non ut ab hac dignè tenui cantere  
Thalia

Parva Tuum præsens pagina Nomen  
habet:

Nomen Apollineo celebrari pectine  
suetum,

Cujus inumbrari tegmine quisq; vovet:  
Nomen in oppressas quod non immite  
Camœnas

Plorantum facili respicit ore preces.  
Aspicio servum, de torque clientibus  
unum,

Qui gaudere tui parte favoris avet.  
Aspice, si vacat, & Te quando negotia  
laxant

Publica, submisæ quæ Tibi cunque  
sacro.

Ausibus ignoscas; hoc si mea cœpta  
merentur,

Fortè verecundo plura rogasse nefas.

**REVERENDISS: TUÆ PATERNITATIS**  
**Humilimus serbus**

M. 7.

*Adm. Es Plurimum Reverem*

*VIRIS &*

**DN. GEORGIO BIUGG,**

Pastori Ecclesiarum Wasensium, adfis-  
tarumque Præposito longè meritissimo,  
Patruo, ab orbitudine jam, Parentis ob  
officium continuum , ætatem mihi  
amando & honorando.

**DN. MARTINO GALLO,**

Pastori in Wôro dignissimo &  
piissimo, Evergetæ semper cele-  
brando.

**DN. MARTINO RIVELIO,**

Pastori Malagensium laudatissimo,  
Fautori propensissimo, æstimatissimo.

**DN. M. ERICO WALLENIO,**

Rectori Scholæ Uhloënsis perquam-  
industrio, Præceptorí quondam, de-  
voto perpetim recolendo pectore.

**DN. MICHAELI GAVELIO,**

Senatori & Mercatori inter Walenses  
celebri, Consanguineo carissimo.

SALUTEM

*dis, Clarissimis, Conspicuis*

*Dominis,*

**DN. ISRAELI ALFTANO,**

Pastori in Kyro majori diutissimè  
merito, Fautori & Benefactori de-  
venerando.

**DN. SAMUELI BACKMAN,**

Pastori in Laihela vigilantissimo, Affi-  
ni honoratissimo, piè collatam ob bo-  
nitatem meis mihi cantando diebus.

**DN. BARTHOLDO VAEHL,**

Pastori in Usmola gravissimo, Fautori  
& Promotori usque suspicioendo.

**DN. M. JACOBO HILDEEN,**

Rectori Scholæ Wasensis solertissimo,  
Præceptorи non ita pridem, Evergetæ  
in paucis facili, laudando.

**DN. JOHANNI GABRIELIS,**

Senatorи & Mercatori ibidem præ-  
stanti, Benefactorи honorando.

**OMNIGENAM!**

**D**ebo plus Vobis quam lingua loquetur;  
honoris,

O mibi nominibus Pectora nota piis;  
Et si vel calamò vel lingua encomia ferrem,  
Illa tamen meritis inferiora forent:  
Nec meus ingenit, quem Vobis offero, fatus  
Cultu, quò placeat convenienter nitet.  
Sumite, quæso, tamen, nec verso temnire vultu,  
Sincerâ Vobis quæ pietate fero.

Scilicet artificis quod pingere dextra nequibat  
Ut superinjectâ veste tegebat, opus;  
Sic, quas non valeo complecti carmine laudes  
Debotâ tacitus simplicitate colam.

Pl. Reverend. & Eximiorum Vest.

Nominum

Æstimator observantissimus

M. J.

Politissimo & Pereximio

DN. MICHAELI  
JESENHAUS,

Amico veteri perdilecto.

Egregii quondam patris lectissima proles,  
JESENHAUS, patriæ Pieridumque,  
decus.

Omine felici Cathedram conscen-  
dis, & inde  
Ingenii monstras persapientis  
opes,

Gratulor ergo tuis bene cœptis,  
gratulor ausis!

In cursu pergas, Me monitore,  
Vale!

PETRUS HAHN,  
Prof. Physices.

Juveni

Ingenii felicitate, diligentie laude & mo-  
rum candore Commendatissimo,

Dn. MICHAELI JESENHAUS,  
Super PARABOLIS eruditè commentanti:

Ceu pondere pressa maligno,  
Sua, Palma, cacumina tollit,  
Et nitens ardua contra  
Viridantior inde resurgit ;  
Ita virtus, mole gravata  
Fortunæ & Sortis iniqtuæ,  
Mage vultus læta serenat,  
Et vulnere pulcrior exit.  
Et Tu, Juvenum decus ingens,  
Fatis satis usq; sinistris,  
Quò Te magis illa premebant,  
Hoc Tu superantior exstas.  
Si credis amica monenti,  
Animum usq; tenebis eundem.  
Olim meminisse juvabit:  
Et, qui patitur, potietur.  
Ne Amico veteri & dilecto deesset,  
deproperabundus accineb.  
TORST. RUDEEN.



§. I.

**D**ivinus Plato lib. i. de leg. u-  
nam præstantissimarum  
censet legem , ne quis-  
quam legum normam  
mentis acie ponderare,  
& quænam illarum se re-  
ctè habeant , quænam secus , inquirere  
audeat ; sed ut , quæcumque in iis etiam  
sine necessariis argumentis tradita fue-  
rint , pronis auribus animisque ab o-  
mnibus accipientur . Quod eâ men-  
te præcepisse Philosophum non im-  
merito judicamus , ut ostenderet , in  
plerisque rebus cognoscendis non mi-  
nus fidei quam demonstrationi relin-  
qui debere . Duplex enim via est , per  
quam rerum cognitio animis nostris  
illabitur : una rationis & sensuum , altera  
fidei ; plana hæc & indubia , quippe  
quæ ad veritatem amplectendam nullis

A

fere

ferè indiget probationibus, illa verò ob-  
scura & infinitis quæstionum tricis ob-  
sita, adque veri notitiam reperiendam  
anceps sæpe & infida: & id ob hebetu-  
dinem & cæcitatem intellectus huma-  
ni, qui minorem fructum ac fides & cre-  
dulitas post lapsum mortalibus ferre vi-  
detur. Nam quamvis dici nihil possit,  
quod non prius dictum est, ad eam ta-  
men scientiæ perfectionem humana  
mens non dum pervenit, ut omnium na-  
turalium rerum cognitionem sibi fami-  
liarem reddiderit: imo, adhuc fortè di-  
cenda multa essent, quæ quo minus ho-  
mines attingant, nefanda illa incredu-  
litatis tabes ex parte magna prohibet.  
De ea verissimum est Heracliti effatum,  
multas divinas & præclaras res ab homini-  
bus ignorari, ob eorum ineruditatem. Cui  
suum calculum addit Theophrastus in-  
quiens: *Res mundi pulcherrimæ ab arrogantia*  
*hominum ignorantur, dum nihil statuunt*  
*credere, nisi humana mens rationem illius*  
*perceperit.* Scilicet egregiæ Poëleoꝝ parti,  
quam

quam ajunt Parabolicam, ut etiam non  
 paucis aliis veterum doctrinis, nocuisse  
 incredulitatis morbum, quis non videt?  
 si modò antiqua appellari mereantur  
 splendidissima adolescentis ævi inventa.  
 quin, ut fateamur verum, hæc, in qui-  
 bus vivimus, sunt antiqua tempora, in  
 quo mundi senio plures præclaræ majo-  
 rum nostrorū artes quasi senuere. Unde  
 nec mirandum paucissimos esse, qui,  
 qua decet, veneratione scientiam per  
 Parabolas antiquitus propositam agno-  
 scunt, cum ex adverso multi reperiun-  
 tur, qui vel sçâpte inscitiâ, vel nescio  
 quâ anilium fabularum duëti suspicione,  
 hanc ipsam utpote inanem, sterilemque  
 despiciunt. Hi suo sensu gaudeant, qui-  
 bus interim vel credulitatem filiorum  
 morituri senis æsopici eo nomine com-  
 mendatam volumus, ut eorum more,  
 qui, cognitô Patris effato de magna  
 auri vi alicubi in Vinea defossa, dicto  
 ipsi audientes, totâ vineâ ligonibus in-  
 versâ, thesaurum quidem nullum inve-

nerunt, sed tulerunt tamen æstatis posteræ vindemiam uberrimam, Parabolæ nunquam illius esse formæ, quali se se primo intuitu nobis offerunt, sed interiori angulo diversa nimis condere, sibi persuadeant: Unde illarum indole exactius consideratâ, non certè, uti alias opinarentur, vana figmenta; sed universæ Philosophiæ præcepta, a suis inventoribus eō sermonis involucro implicita lucri facient. Secus autem cum sit, videntur malle pulcerrimâ rerum scientiâ carere, quam dare operam, ut eam investigent.

## §. II.

**N**on nescimus, hæc dum dicimus, forsitan nobis occini: qui quibusvis figuramentis fidem habet stultum esse. neque negamus, esse plurima inutilia a multis excogitata, quorum ex natura Parabolæ nostræ minus erunt spectandæ: quin fatendum est, etiam ea ipsa, quæ quidem primâ specie videntur esse meritus, & ingeniorum, quæ nihil majus ha-

habent, oblectationes, aliqua simul continere feria & utilia, quamvis ea non nisi ab acutioribus secerni possint. Unde non incertis rationibus inducimur, ut in ejusmodi credulitate potius quam nimia incredulitate peccandum, existemus. In eo scripti genere versatus excellentiss: Morhofius, cuius magni facimus judicium, Polyhist: pag. 88.  
*Sunt*, ait, *qui talia ut inania, & ab otiosis ingeniis ad fucum simplicioribus faciendum, inventa aspernantur: sed media in illis via procedendum est.* Ut enim nullus liber tam malus est, in quo non sit aliquid boni; ita & in illis, qui arcana se tradere venditant, inveneries aliquando quæ vix eredideris. Non negaberim equidem multa a multis fingi esse, qui aliorum credulitati imponant, & ad inanies contemplationes homines, quibus omnia ignota magnifica sunt, abducant. Sed de omnibus eandem pronunciare sententiam nefas esto. Neque ita suspicionibus indulgendum est, ut omnia sine discrimine pro fabulis & mendaciis habeamus. Quin potius crescat eum

*bona segete infelix lolium & steriles avenæ.*  
 Hanc ob causam ingens cum sit Parabolæ & futilium figmentorum differentia, probè hæc ab illis discernenda sunt, nec omnia sine judicio vel accipienda vel abjicienda. Nec est verissimile, veteres sapientes mentiendi libidine motos talia finxisse. Quis enim nisi scurra iis vacaret lusibus? Quis nisi fatuus similibus narratiunculis assentiretur? Ergo aliquid causæ est, quod ejusmodi occasionem dederit, de quo D. D. in sequentibus.

### §. III.

Cæterum ut inoffenso pede progre-  
 diatur, omnium primò dispicienda  
 nobis erit nominis Parabolæ origo, il-  
 lane debeatur fontibus Græcis an La-  
 tinis? Sunt quidem, notante id D. Glas-  
 fio, Philol. S. pag. 337. quibus Parabo-  
 la dicitur, quasi quod paret vela, ad  
 significandam velatam, obscuram-  
 que Orationis speciem Parabolicam.  
 Alii, ut simplicem, facilemque captu-  
 do-

doctrinæ formam innuant, eam a parando bolum, ori scil. facilem accersunt. Quod si ita habebit, quid obstat, quo minus Symbolum a  $\sigma\upsilon\upsilon$  & bolus, ceu cui quilibet Apostolorum suum bolum contulerint: vel Diabolus a  $\delta\upsilon\delta$  & bolus, quasi devorans hominem duobus bolis, qui sint anima & corpus, dici possit? Hanc autem notationem cum, ut inutilem & ineptam improbandam merito censemus, tantò minus propendemus in sententiam derivantium vocem Parabolæ Latino ab idiomate, quo certius constat eandem Græci esse ortus, qui & propria in lingua querendus erit. Parabola est a  $\pi\alpha\beta\alpha\lambda\alpha$ , juxta iacere, conterre: Unde  $\pi\alpha\beta\alpha\lambda\gamma$ , Parabola, collatio sine similitudo. Tacemus significatus alios, apud Auctores diversos non infrequentes, qui ad institutum nostrum parum pertinere videntur.

## §. IV.

**L**ongè alio sensu Parabolam apud Hebreos inveniri, liquidò patet ex usu

vocis לְשׁוֹן & קַרְבָּה, quorum illa sic dicitur ob similitudinem & collationem diversarum rerum, hæc ob obscuritatem sensus ænigmaticam, quæ ibi ferè obtinent imperium & patriam: nam prout ipsum לְשׁוֹן dominandi & regendi significatu gaudet, ita denotat dominantem quamvis sententiam, κυρίας γνώμην, h. e. celebre aliquod & authenticum dictum, adeoque sermonem non solum similitudine aliquâ vestitum, sed & insigni pollutem gravitate. Hinc Divinus liber proverbiorum Salomonis מִלְחָמָה videtur fuisse consecutus nomen. Eadem in significatione novo in Fædere occurrit dictio τῆς παθετοληῆς, ubi emicat series narrationum Parabolicarum, quibus in docendo populo Salvator usus est: quin ibidem παροιμία & παθετολή promiscue usurpantur, quod pleraque proverbia constant similitudinibus. Ita enim Apostoli Christo Ioh: 16: 29. πῦν παροιμίαν ὀδεμίαν λέγεις, uti hæc exponit D. Chemn: Harin. Ev. Cap. 61. Isque fere usus est voca-

vocabuli Parabolæ tam apud Sacros quam profanos scriptores, præter hoc quod in Matheſi venit nomine parabolæ curva illa linea, quæ ex transverſa coni fectione fit: item divisio multiplicationi contraria. Et quatenus infamia notæ significationis a fabulæ nomine removeatur, uti etiam ſæpius eſt notionis honeſtæ, Auctore Verulamio, Parabolam pro fictione Poëtica, iſſisque adeo fabulis tuto uſurpatum.

## §. V.

Poëſin ἄμυθον ἀψυχον planè, Plutarcho aduentiente, fabulasque vitam & animam Musarum nuncupare non dubitamus. Nam cum Poëtæ nomen a faciendo vel fingendo deflexum eſt, ipsius erit officium non tam extantes res, quam non extantium, quæ tamen extare poſſent, formas singulari orationis artificio depingere. Hinc tot miraculosæ Poëtarum narrationes, Apologi, Metamorphoses, & Comicorum theatra, repræſentata sub habitu certarum per-

sonarum, vel aliquando, vel nunquam  
in mundo visarum. Sic in iratæ Junonis  
descriptione Virgilius potentis Matronæ  
ideam adumbrat, a quo vicissim æneas,  
ut ab Homero Ulysse, non ad historiæ  
fidem, sed ad effigiem perfecti Impera-  
toris describitur, non qualis fuerit, sed  
qualis fuisse debuerit. Quo loco patescit  
ὑποτυπώσεως usus, intellectualia ad sen-  
tium deducentis, dum res ita delinean-  
tur, ut videantur agi. Cujus exemplum,  
ut prætereamus alia, in exponenda co-  
ercitione furoris bellici præstatum est  
lib. i: Æn: v. 297.

- - - - *Diræ ferro & compagibus arctis  
Claudentur belli porta. Furor impius intus  
Seva sedens super arma, & centum vincitus  
abenis*

*post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.*  
Unde non obscurè constat, quicquid de-  
fornitatis per lapsum rerum universi-  
tati conciliatum est, Poësin suæ elegan-  
tiæ quasi velle restituere, adeo, ut hu-  
manus animus in ea quam maximè ha-  
beat.

beat, unde sibi complacat, oblectatio-  
numque suarum defectus suppleat. Nam  
cum res gestæ, ait Verul: l. 2: c. 12. de aug.  
sc. & eventus, qui veræ historiæ subjiciuntur,  
non sint ejus amplitudinis, in qua anima  
humana sibi satisfaciat, præsto est Poësis,  
qua facta magis Heroica consingat: Cum hi-  
storia vera successus rerum minimè pro meri-  
tis virtutum & scelerum narret; corrigit eam  
Poësis, & exitus & fortunas, secundum me-  
rita, & ex lege nemesis exhibet, sic rerum  
simulacra ad animi desideria accommodans,  
non animum rebus submittens. Hæc autem  
jucunda varietas non aliunde quam  
ē mira imaginationis vi resultat, quæ  
in nullo scientiarum genere æquè ac in  
Poësi valet, foyeturque quiete & seces-  
su, juxta illud Poëtæ:

*Carmina secessum scribentis & otia querunt.*  
Nam ut vocibus ipsis & sententiis simu-  
lacra rerum; ita earum inter se imagines  
Tropis, similibus, aliisque orationis  
ornamentis animis nostris præstantur.

## §. VI.

Pictores hac in re imitatur mens humana, qui nobis speciem aliquam proponunt, ut eā rem aliam significant. Quod itaque Pictor coloribus, figura & proportione, id animus noster facit conceptū: nam res concipimus, vel uti sunt, vel sub imagine aliarum rerum, quæ ipsis assimilari possunt, & earum quasi typū monstrant. Hic Phantasiam scientiæ cuiuspiam effectricem non constituimus; sed quatenus ad impetum Poëticum, celeritatemq; fingendi confert, eam Poësi imperare dicimus. Hinc est, quod apud bonos Poëtas varietatum & oblectationum omnia plena occurrant. Heic loci nobis objici possit, tales sermoni vicissitudines inseruisse, nihil esse aliud, quam ei pigmenta & ampullas adiecisse, qui est pannus Horatii, quem ille in Arte festivissimè perstringit. v. 15.

*Purpureus latè qui splendeat unus & alter  
Assuitur pannus: cum lucus, & ara Diana,  
Et properantis aquæ per amanos ambitus agros,  
Aut flumen Rhenū, aut pluvius describitur arcus.*

Sed

Sed ut ut fabulæ virtus est, ut simplex  
 sit duntaxat & una; non tamen inde non  
 admittit digressiones & episodia, unde  
 varia efficitur & rara: qualem semper  
 magni facimus raritatem, cum econtra-  
 rio quæ sæpe fiunt, tandem despiciun-  
 tur & fordan. Sic Maro in descriptione  
 Æneæ, quamvis diutius aliquando in  
 digressione occupetur, nunquam tamen  
 non meminit sui Herois, redeundo ad  
 narrationis filum. Ex hisce colligitur  
 licentia illa Poëtis concessa, quæ in eo  
 consistit, quod ipsis latior pateat exspa-  
 tiandi campus sermone in ligato, quam  
 Oratori in proso. Nam *quicquid in reli-*  
*qua Oratione*, inquit Weisius Inst:Or:p.438.  
*valet intra mediocritatem, id in carmine to-*  
*lerari potest vel ad excessum. Orator in syllo-*  
*icum artificialem; Poëta vero videtur se-*  
*clariri artis aliquem excessum; id tamen hac*  
*cum cautione, ne decori limites trans-*  
*grediatur. Hinc cum in omni doctrina*  
*impietas summopere cavenda, & poe-*  
*mata obscena, mores hominum, imo*  
sæ-

sæpe virtutes ipsas satirico sale perstrin-  
 gentia ob licentiaz suæ abusum λόγοι ἀργοὶ  
 jure judicanda erunt; dubitandum est,  
 an ab hujusmodi Ethnicorum evolven-  
 dis scriptis Christianus arceatur. nam  
 siquidem in iis multa sæpe cognitu di-  
 gna continentur, verebitur, quisquis o-  
 mnia ea sine discrimine repudiaverit, ne  
 infantem, quod ajunt, una cum lavacri  
 fordibus effundat. h. e. ne Ethnicorum  
 dogmata despiciendo, simul despiciat,  
 quæ novisse Christianum decebit. Pro-  
 inde cum per lapsum deperditam Divi-  
 nam & Humanam Sapientiam omnium  
 temporum mortales reficere conati sunt,  
 Poëtas quoque in id ipsum incubuisse,  
 nemo non novit, qui præclara ipsorum  
 ingenii facinora attentius inspexit. In iis  
 eminent illa, quibus sapientiæ suæ sacra  
 vel occultaverant, vel ubicunque fuerat  
 opus, clare exposuerant: utrumque præ-  
 stat Parabolicum dicendi genus. Nam  
 cum vulgus, noctuarum instar, interdiu  
 ob lucem nihil videntium, disciplinas eas,  
 quæ

quæ aliquam subtilitatem sapiunt, difficile percipere potest, non sine causa nobilis hic erudiendi modus antiquitus inventus est, ut per simulacra & exempla doctrinæ discentium animis insidiosâ quasi quadam suavitate sese insinuarent. Sed siquidem juxta timendum erat, ne homines, prout est instabile ingenium humanum, postquam Doctorum suorum præcepta sibi cognita reddidissent, ea contemnerent; etiam occultationis artificio inservière Parabolæ, in quibus argumentum quidem fundabatur veri soliditate, sed ipsa veritas per quædam facta proferrebatur: idque eum in finem, ne vel communis sapientia plebejis innotesceret, vilesceretque, vel ut populus tanto majori incenderetur cupidine cognoscendi ea, quæ ipsi non nisi per transennam cernere licebat. Unde oriebatur admiratio, quam instigasse mortales ad sapientiam excolendam, tum experientia tum testimonio Arist. notum est: οὐδὲν μάζαν καὶ νῦν καὶ πρότοις ἡγέται φίλοσοφεῖν.

quam

quam assertionem Pythagorici & Stoici adeo sibi persuaferunt, ut non dubitaverint Sapientiae perfectionem in non admirando ponere.

## §. VII.

Parabolarum tractatio ad quam Philosophiae partem referetur, quæstio est non necessaria, nam similitudo, quæ vulgo Parabolarum constituit materiam, quatenus petitur e loco similiūm, Logicæ propria est; Res autem, quæ inter se conferuntur, ad aliud atque aliud Philosophiae genus pertinent, quas Poëta & Orator vel alius quispiam usurpat & suis usibus accommodat. Variè similitudines formantur, nimirum vel per actionem, vel sermonem, cuius ordini subjiciuntur Orationis species tam manifestæ quam obscuræ, quales sunt ænigmaticæ, Proverbiales, Allegoricæ, Parabolicæ & aliæ innumeræ.

Non defuerunt, inter quos Causinus Rh. l. 4. numerat Euclidem Megarenum, qui locum similitudinum, ut inutilēm

tilem e classe argumentationum rejiciendam arbitrati sunt, iis persuasi rationibus, quod quicquid adfertur simile, vel rei, cui accommodatur, congruit, vel minus: si hoc, tota similitudo inepta erit; si vero illud, summae est amentiae, umbram querere, ubi ipsum adest corpus. Sed illorum sententiam diluere magni negotii non erit, nam quanquam non diffitemur similitudines esse congrua rerum simulacra, quarum argumenta apud Dialecticos facile vellicantur, apud Oratores tamen & Poetas, ubi res non tam probantur quam illustrantur, similia ad persuadendum & delectandum sunt aptissima. Præterea comparationes a diversis & dissimilibus non incommodè petuntur ad rem declarandam, cum minimè necesse est, ut ea, quæ comparantur, in omnibus consentiant; nam sufficiet, si saltem similia non æqualia fuerint. Sic comparari potest homo cum igne, aqua, cane rebusque diversissimis, nihil tamen vitii

inerit comparationi, dummodo unam vel alteram similitudinis partem contineat.

### §. VIII.

Sed ut Parabolas investigemus, consequens forte est, illarum auctores ostendere. De quibus tantum abest, ut certi quid statuere possimus, quod constat, non unam solum gentem Parabolis usam fuisse, sed quamvis sua ex consuetudine eas usurpare. Certè Græcia, quæ multarum præclararum inventionum gloriâ floruit, Parabolarum auctoritatem suis fabulatoribus Homero & Orpheo tribuit. De hoc sententia est Huetii Demonst: Ev: Prop. 4. p. 189. non solum Orphica, quæ circumferuntur scripta esse supposititia, sed & nullum unquam extitisse Orpheum Thracium: idque inde probat, quod Thracia literarum minus amans scientias in rebus turpissimis habuerit, & quod Aristoteles idem senserit. Heinsio Arist: Sac. part. 2, C. 1. nullum est dubium, quin sint ea scripta Or,

Orphei, quæ dicuntur Orphica. Nam ut doctrina erat Orphei, ita eam versibus concepisse Onomacritum; Orpheum autem & Homerio recentiorem esse, & de suo Homericis multa addidisse, vel inde confirmat, quod plurimum Deorum mentionem facit illi adhuc incognitorum. Sed excellentiss: Atlanticæ Auctor T. 2. C. 6. testimonio Servii Homerum ab Orpheo, Orpheum autem ab Apolline Hyperboreo carmen suum accepisse, assentit. Homerus itaque Parabolas poematis suis non invenit, sed aliunde colligit. Neque quæ dicuntur fabulæ Ælopicæ ~~eas~~ sunt vetustatis, ut appellari mereantur vetustissimæ. Quicquid sit, ex Verul: de augm. Sc. I. 2. c. 13. constat, scripta talia, quæ veritatem fabularum tegumentis involvunt, post literas Sacras esse antiquissima, & longè his antiquiores ipsas fabulas; siquidem ab illis, qui eas operis ~~by~~ suis admiscuere, tanquam prius creditæ & receptæ, non tanquam primum inventæ & excogitatæ

sunt, adeo ut tempus omnium antiquissi-  
mum fabularum fons & origo dici pos-  
sit; quanquam postea in sequentibus se-  
culis ea scribendi ratio non omnibus po-  
pulis placuit, unde & hodie contemni  
videtur & vilescere. Ea autem sive ex  
antiquis Hyperboreis, sive ex Iudaicæ  
gentis sacris & ritibus provenit, con-  
tinuâ traditione apud quoscunque fa-  
bulæ in deliciis habitæ sunt, tanta in-  
crementa cepit, ut, tamæ instar eundo  
vires adquisiverit: idque tanto magis,  
ob varias variorum populorum de Diis  
opiniones, quorum alii cœlis alii ter-  
ris, aquis alii, aliquique diversis actionibus  
præesse existimati sunt. Neque enim  
principis Ethnicis erat insolens Heroas &  
Reges suos ob res præclarè gestas &  
præstata beneficia in Deorum numerum  
referre: summus siquidem honoris gra-  
dus apud eos fuit Divinam veneratio-  
nem, cultumque consequi. Unde natum  
proverbium: *Homo homini Deus.* & illud  
Virgilii de Augusto:

Nam-

Namque erit ille mihi semper Deus: illius aras  
Saepè tener nostris ab ovibus imbuet agnus.

Hæc cum ab Ægyptiis, orisque septen-  
trionalibus transiere ad Græcos, qui  
historiæ sub fabulis latentis ignari, o-  
mnia ad sua tempora & coævos sibi homi-  
nes accommodaverunt, novis subinde  
figmentis additis, veritas tota extincta  
& in densissimas tenebras demersa est.  
Quo fiebat, ut fabulæ, quæ, teste Nat.  
Com. l. 6. c. i. tempèr aliquam historiæ par-  
tem tanquam fundementum habent, tantâ  
mendaciortum vanitate obscuratæ sint,  
ut inde sensum verum eruere difficile sit.

### §. IX.

**A**d duplarem usum, utilitatis scilicet &  
delectationis, quo etiam Poëtarum  
fines semper circumscribuntur, Parabo-  
larum doctrinam non ineptè revoca-  
mus, quorum illa binas species, σαφή-  
νεια & κρύψις complectitur, cum hujus  
operâ ingeniose aliis ea abscondimus;  
quæ non nisi paucos novisse volumus;  
illâ ex adverso efficitur, ut palam &  
aper-

apertè indicemus atque illustremus, quæ omnibus persuadere studemus. unde neque obscurè delectationis effectus elicetur. Huc redeunt causæ aliæ, ob quas veteribus Poëtico illo dictionis genere uti placuit, nempe ut eæ res, quarum dignitás tanquam velo quodam discreta esse merebatur judicio imperiti vulgi subtraheretur. Nam recte Synesius in Calvitii encomio : το δέ πάσον κατηγόρων ὁ δῆμος δέρει γὰρ τρεπτεῖς. rideat ac despicit plebs, quod facilimum intellectu : opus vero ei narratione prodigiosa. Præterea Parabolæ taxandis potentiorum moribus commode intervire antiquitas in numerato habuit: hanc ob causam Euripides Atheniensium scelus ob occisum Socratem palam accusare metuens, Tragœdiam Palamedem scripsit, in qua per histriones versum hunc identidem repetens: ἐκάνετε, ἐκάνετε τὸν ἔλληναν ἀετον. toti Theatro & gemitum & lacrymas excussit. Simile quid habet Horatius Odâ xiv. Lib. I. quæ sic sonat :

O Navis, referent in mare te novi  
 Fluctus, O quid agis ! fortiter occupa  
 Portum : nonne vides, ut  
 Nudum remigio latus,  
 Et malus celeri saucius Africo,  
 Antennaeque gemans ? ac sine funibus  
 Vix durare carinae  
 Possint imperiosius  
 Aequor ? Ec.

Ubi omnia occulto quodam sermonis ha-  
 bitu continuantur : nolebat enim Poeta  
 bellorum civilium auctores perstringere.  
 Sic Propheta Nathanus, ut Regi Davidi  
 patratum ab eo tacitus in memoriam  
 revocaret, decentem finxit apogum,  
 quo eum ad meliorem frugem redegit.  
 Quò etiam spectat, quicquid commodi  
 ex Parabolis memoriae confertur ; quip-  
 pe cum multæ res, vel ob apparentem  
 sibi insitam difficultatem, vel ob stupi-  
 ditatem auditorum videntur obscuritate  
 laborare, Parabolis non solum eæ feli-  
 citer expediuntur, sed & melius infun-  
 duntur animis audientium. Eo certe  
 con-

consilio Salvator Christus, quotiescunq;  
 offerebatur occasio, inter concionandū  
 & docendum Parabolas sectatus est:  
 nam cum ipsius auditores diversis erant  
 sententiis, quorum alii Divinis præce-  
 ptis pia simplicitate fidem adhibebant,  
 alii repugnabant, optimam informandi  
 viam per similitudines a rebus terrenis  
 & vulgo notis sumtas, secutus, omnium  
 captui, quatenus profuit, se applicare o-  
 peram dedit. Hac de re egregie Erasmus  
 in Paraph. N.T. ad Marc. 4. v. 2. Proponebat  
 Christus Parabolas, h. e. rerum notissimarum  
 similitudines. Est enim hoc simplicissimum di-  
 cendi genus. & rudibus maximè accommoda-  
 sum. Videtur enim prima specie puerile ac ri-  
 diculum hujus mundi sapientibus: sed hoc do-  
 cendi genus placuit aeternæ sapientie. Philoso-  
 phim magna arte contortis syllogismis tenebras  
 offundebant auditoribus, ceterum hoc doctrine  
 genus simplicissimum sibi delegit JESUS, ut tota  
 gloria mundi per Evangelium innovati esset  
 Divine virtutis. In Parabolis explicandis  
 communis Theologorum norma est,  
 sum-

summopere considerari debere scopum,  
 ob quem assumta est Parabola, quæcum  
 passim continet, ad sui ipsius substantia-  
 rum parum pertinentia, circumstantia-  
 rum instar ornatus causâ ea adhiberi,  
 sciendum est: ideoque ipsis verbis & o-  
 mnibus Parabolæ partibus nimis non in-  
 hærendum, quanquam illarum applica-  
 tionem tentare liceat, quatenus ea sco-  
 po & intentioni convenit. Sic Christus  
 confertur furi, cuius tamen mores in  
 Christum minus quadrant: quare evi-  
 dens est, tertium comparationis in eo  
 consistere, quod, ut fur, aliquando in-  
 sperato accessurus sit: quod etiam de aliis  
 ejusdem generis Parabolis intelligere est.  
 Ut innotescat propositio illa: Theolo-  
 giam Parabolicam non esse argumenta-  
 tivam, constabit discrimen Parabolæ &  
 Historiæ, cuius omnes partes ad pro-  
 bandum conducunt; illius neutiquam,  
 uti sunt imbecillia argumenta e loco  
 similiū allata, ubicunque probationi-  
 bus innitendum est. Non tamen obstar,

quo minus historia parabolice queat usurpari. Sic quæ de divite & Lazaro memorantur, quis neget tunc temporis re quidem vera accidere potuisse, sed a Christo parabolice fuisse tractata?

### §. X.

Cæterum cum etiam apud Judæos Orationis parabolicæ genere nihil frequentius, quod testatur Oth. Lex. Rabb. Phil. pag. 438. inquiens: *Oratoria Judæica nullum schema familiarius Parabolismo: Qui in eo genere præcipue excellunt, erat Rabbi Meir, de quo dicunt in Sotah c. 9.* **משת ר מאיר בטלו משלים משלו**: ex quo cessauit R. Meir, cessaverunt Parabolizantes; non quasi illis floscutis non amplius usi sint, sed quia nullus amplius fuit, qui in illis ita excelleret, ut fecit R. Meir; dispiciendum aliis visum est, utrum e Talmude Parabolas suas Salvator mutuatus sit: cum tamen id minimè factum esse afferit D. Pfeiffer Thes. Herm. C. 3. quin potius Talmudistas aliqua ex ipsius sermonibus suffici

suffuratos suis intermixuisse: et si haud negat & Christum & ipsos aliquas Parabolas communi e consuetudine de promississe & usibus suis conformasse. Indaicarum Parabolarum facimus mentionem non ea mente, ut eas cum illis Salvatoris unius esse generis existimemus, quas ceu Divinæ sapientiæ plenissimas devotâ animi veneratione admiramur & suspicimus; sed ut pateat, præter illa mendaciorum monstra, etiam aliqua reperiri, quæ licet primum insipienti vi-les videantur fictiones, interiori tamen sensu gentis illius Sapientiæ mysteria con-tinent, adeo ut non nisi gravi consilio talia suis ab auctoribus conficta fuisse di-xerimus: Horū tale exemplū e lib. Cholin c. 3. habet Schickardus in Bechin: Happer. &c. אמר לו יהושע בֶן חנניה  
 Quæ ibidem Latinitate donata sic habent:  
*Dixit Cesar Jehoschua filio Chanania: DEUS*  
*vester leoni assimilatur, sicut scriptum est: leo*  
*rugit, quis non timebit? qualis non fortitudo*  
*eius? eques interficeret eum!* Respondit ei: non

per

per hoc leoni vulgari assimilatur, sed leoni, qui  
 est in Elai. Dixit ei: cuperem ego videre ipsum.  
 Respondit ei: non potis es, ut videoas ipsum. Dixit  
 ei: veruntamen aspiciam ego illum. rogavit  
 misericordem DEUM & avulsus fuit a loco suo.  
 Cum adhuc abessest a colloquentibus quadringen-  
 tas leucas, rugiit una voce: prostrate sunt o-  
 mnes gravidae, & mœnia Romana corruerunt.  
 Cum vero distaret 300. tantum milliaribus, ru-  
 giit voce posteriori: concurra sunt omnia in tan-  
 tum, ut dentes viris exciderint, & etiam ipse-  
 met Cæsar præcipitatus fuerit de throno suo in  
 terram. Quorsum hæc, nisi ut figuratâ il-  
 lâ dictionis formâ summa DEI potentia  
 exprimatur & oculis animisq; vulgi sub-  
 jiciatur? quanquam interim quæ de Cæ-  
 sare, Elai, mœnibus Romanis, aliisq; cir-  
 cumstantiis narrantur, ad intentionem i-  
 psius Parabolæ parum faciunt. Eximum  
 enim magni Doctoris Judæorum Mai-  
 monidis monitum in More Nevochim:  
 Cum videbis me explicare Parabolam aliquam,  
 & in genere summam & scopum illius tibi in-  
 dicare, noli postulare rationem & applicatio-  
 nem

nem omnium verborum & rerum in parabolis  
 contentarum ad rem significatam. Nam si id  
 feceris, in alterutrum duorum horum incidet:  
 vel declinabis a scopo & intentione Parabolæ:  
 vel fatigabis te in querenda explicatione illo-  
 rum, quæ explicari nequeunt, & ex hoc studio  
 incidet in vaniam & vanitatem, inter mul-  
 tos nostro hoc tempore adeo familiarem, qui  
 conantur quadam eruere e verbis auctorum,  
 de quibus auctores nunquam quidem somniarunt.  
 Optima sane & maxime ingenua parabo-  
 lici sensus inveniendi via, quam circa  
 parabolarum explicationem secutum esse,  
 forte operæ pretium erit. Quin Judæis  
 antiquioribus, ipsisque Hebræis Parabolæ  
 sic cordi erant, ut quicquid eximium e-  
 loquentiæ genus saperet, שׁוֹר vocarent,  
 unde aureum suum Proverbiorum librū  
 Salomon Parabolarum titulo insignivit,  
 non quod omnia, quæ in eo habentur,  
 similitudinibus exposita sunt, sed ut è  
 potissima parte totum denominaretur  
 opus.

## §. X L

**A**d hanc loquendi consuetudinem omnes fere populi Orientis, quotiescunque doctius quid & venustius in medium proterendum esset, Parabolis præcipue usi sunt. Hinc Scytharum legati in Oratione illa, quâ se Alexandrum ad pacis conditiones ineundas commoturos sperabant, rotundas & breves Parabolas adhibuere, quid Tu? inquietes, ignoras arbores magnas diu crelcere, unâ horâ extirpari? Stultus est, qui fructus eorum spectat, altitudinem non metitur. Vide, ne dum ad caenum peruenire contendis, cum ipsis ramis, quos comprehendenterias, decidias. Leo quoque minimarum abium pabulum fuit, & ferrum rugigo consumit. Nihil tam firmum est, cui periculum non sit etiam ab invalido.

Non hic possumus, qvin paucis nominemus concisas Parabolas ab Alano quodam carmine, ad metri legem licet minus adcuratè composito, scriptas, qvarum meminit Soran. Th. E. Sc. p. 96.

Nil

*Nil aliud nisi se valet ardens Aetna cremaret*

*Sic se non alios invidus igne coquit.*

*Non est in speculores, quam speculamur in illo;*

*Eminet, & non est in muliere fides. Ec.*

## §. XII.

**Q**uod de Parabolis Judaicis modò discebamus, scil. non debere earum expositionem longius extendi, quam patitur scopus & intentio dicentis, id quoque de Parabolis Poëticis tenendū erit. Nam ut illarum, ita etiam harum interpretatio justos intra fines consistet, ne interpres vel ingenii defectu nudis vocibus inhæreat, vel nimia curiositate longius progrederiatur, Poëtis mysteria affingendo, de quibus ne per somnium quidem cogitaverant. Proinde fabulas feliciter explicaturo necesse est, earundem auctorum propositum intellexisse: nam ut digitum vel auriculam solum inspiciens, hominem alià notissimum vix cognoveris, nisi seriem, quâ omnium membrorum convenientia constat, integrumque cora

corpus videris; ita ex una vel altera parte, omissis reliquis, quisquis fabulam spectat, erroribus involvi in proclivi est, cum nihil certi colligere potest, nisi totam seriem ipsamque cohærentiam ex iis quæ præcedunt & sequuntur enodare sategerit. Et cum notum est, fabularum bonam partem constituere gentilium Deorum Dearumque nomina, quæ suis Heroibus, Heroinis & quibuscunque de re publica bene meritis adsignavere non solum veteres Græci, sed & longè iis antiquiores populi, linguas, a quibus ea originem traxerunt, didicisse peropus erit. Hinc ab Heinsio in Arist: Sacr. part. 2. c. 1. Græci passim male audiunt, quod historias antiquas plerunque ita tractaverint, ut posteris vix dederint præter tenebras, dum originem & veritatem, unde illæ peti debuissent, sive malitiâ sive ignorantia ne leviter quidem attingentes, omnia novis auxerint figuramentis & pro suis inventis venditaverint. Nam cum ab eruditis in ipsis

ipſis etiam tabularum vocibus peregrinæ  
linguæ vestigia obſervata ſunt, ne ipſos,  
ait, eorum quæ dixerant rationes no-  
viſſe. Sic ab eis fingi Bacchum Iovis  
femori inſutum & inde genitum, cum  
ignoraverint verum ſenſum phraseos  
prodire e cujuſpiā femore, quod Hebræis  
notat, filium alicujus eſſe: quibus deberi  
putat ortum fabulæ iſtiuſ. nam בכה ſi-  
gnificat flevit, ululavit: in ſacris autem  
literis dicitur posteritas Iacobi femore  
ejuſ egressa Gen. 46: 26. Ex. 1: 4. In eo  
quoque occupatur Rudb: Atl. T. 2. ut  
oſtendat linguæ noſtræ patriæ ignoran-  
tiam exteris ſcriptoribus errandi anſam  
præbuſſe, ſimulque obſtituſſe, quò mi-  
nuſ e Runis Scaldisque historiam gentis  
Septentrionalis videre potuerint, quam  
poſteri ipſorum exinde apud ſe, non  
foris natam crediderunt.

## §. XIII.

Tantum olim & hodie obſuit fabulas  
interpretatuſ linguarum imperitia;  
neque minus, parum industria ipſius

poëmatis inspectio, & non calluisse consuetudinem, quam in suis scriptis figurandis sequi solent Poëtæ. Ipsi enim insitatum non est, variarum bestiarum formam & nomen hominibus tribuere. Hinc Lycaonis in lupum, Actæonis in cervum & aliorum in alia animalia transformationes. Non hic, an homines verè in bruta mutari possint, differimus, cum constat homines a Poëtis dici accipere eorum animalium habitus, quorum similitudinem moribus referunt. Ex nominibus ludus est in iis, quæ refert Chron. Norvagicum Cap. 233. Konungen sade til björn Stallare: så hunden efter som förr intet kan bista på honom. Björn vände Dran i handen på sig, och slog Thor på axlen med hammaren; ther var ett hårdt slag / ate Thore snaswade ther vid. Då stac Thore hund till Björn stallare mitte i buken / och gaf honom banasår. Då sade Thor: Så bete mij Björnen. Præterea quoque metamorphosis occasionem aliquando deditur rara aliquius corporis facies, vel statura non vulgarem in longitudinem vel brevitatem

tem deflectens, qualis fuisse perhibetur gigantum & pygmæorum, quorum hinc nostri ævi hominibus vix breviores extitisse creduntur, quamquam collati gigantibus breves comparuerant. Ad illorum autem staturam demonstrandam Poetæ formam monstro quam homini similiorem confinxerunt. Sic enim Hesiodus in Theog. v. 150.

Τῶν ἐκάστον πέντε χεῖρες ἄπ' ὥμων αἰσθανθεῖσαι :  
Ἄπλασι : κεφαλὰς δὲ ἐκάστω πενήντοις  
Ἐξ ὥμων ἐπέφυκον ἐπὶ σιβαροῖσι μέλεσσιν.  
Quorum centum quidem manus ab humeris  
prominebant :

*Informes : capita verò unicuique quinquaginta  
Ex humeris procreberant super robustos artus.  
Ad quem modum Iudæi Og Regis Basan staturam describere videntur , de quo Abba Schaul, cit: Schickardo, ait, se iter facientem ipsius tibiam invenisse,  
& in ea ultra tria milliaria fuisse peregrinatum . quamvis hoc aliis sic farinæ.*

Hoc

*Doctrinā moribusque Conficiō*

**DN. MICHAEL JESENHAUS,**

*De PARABOLIS egregiē differens.*

**R**eddere cum specimen pulchra  
hac contentis opellâ  
Ingenii vires atque probare  
tui,

**H**isce tuis Pallas plaudat conatibus  
opto

*Atque creet dignum temet ho-*  
*nore virum:*

**Sed Tibi det tandem summi Re-**  
**gnator Olympi**  
**Praemia, qui potis est, non peri-**  
**tura, vale !**

*Gratulabundus*

*scripsit*

**NICOLAUS BERGER.**  
**Ost: Bothn:**

*Peregrinatio*

DN. RESPONDENS

Fautor & Amice singulariter  
dilecte,

**E**ssem cum Walæ Tecum, Tectoque  
sub uno  
Formarer, socio, sed minor ipse;  
meo;

Iam tum multa tui dederas documenta  
vigoris,

Plurimaque ingenii semina sparsa  
boni.

Hinc ego dicebam: tot dotes fama  
loquetur.

Nec spes augurio fallitur illa suo,  
Quod tua scripta probant. Referet tibi  
dextera Pallas,  
Cum vigilatæ olim præmia noctis  
erunt.

*JOHANNES Köring.*  
*Ost. Beln.*

O! conaminibus castæ virtutis  
honestis  
Usque, PATER, sortem Divinitus ad.  
de benignam!

Institutori suo dilecto  
animitus precatur

**JOHANNES LAURÆUS.O.F.**  
Off. Boih.

